



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn


Virgo Lavretana Commentariis Illvstrata Sive Compendiosa Explicatio Litaniarvm Lavretanarvm

Dript, Laurentius a

Nevhvsii, 1673

Caput Primum. Encomium Virg. Matris Primum. Sancta Maria.

urn:nbn:de:hbz:466:1-43641



LITANIARUM LAURETANARUM

ET

ENCOMIORUM

MAGNÆ ET ADMIRABILIS

DEIPARENTIS

MARIAE,

CAPUT PRIMUM.

Encomium Virg. Matris Primum.

SANCTA MARIA.

PRæclarissimos olim ac Sanctissimos
utriusq; sexûs Sanctos, ac Sanctas sin-
gulari Dei providentiâ è sterilibus paren-
tibus natos, & antequam natos suis nomi-
nibus à Deo insignitos & Divina & Eccle-
siastica testatur historia: ita filius promif-
sionis *Isaac* è sterili matre *Sara* nomine na-
tus, antequam natus est: dicente Domino
ad *Abraham* (*Genes. 17. vers. 19.*) *Sara uxor*

B

tua

*tua pariet tibi filium vocabisque nomen ejus
 Isaac, & confirmabo pactum meum cum eo. Sic
 Samson, Samuel, & denique Salvator ac Re-
 demptor noster antequam natus, ab An-
 gelo Virgini Matri prænunciatus, ac San-
 ctissimo illo nomine IESUS indicatus est:
 ut scilicet rebus nomina convenirent, sub-
 jungente mox Angelo causam tam sua-
 vissimi nominis: *Ipsè enim salvum faciet po-
 pulum suum à peccatis eorum.* Si autem Ec-
 clesiasticas inspiciamus historias, Magnus
 ille *Dominicus* tanti Ordinis institutor, &
 propagator matri sterili precibus impe-
 tratus, & prænunciatus est à quodam *S. Do-
 minico* Ordinis *S. Benedicti* incluso: Sic &
Sancti Franciscus de Paula, Nicolaus de Tolentino,
 innumeriq; alij pari modo impetrati
 & parentibus prænunciati sunt, ut nimi-
 rum quales hi aliquando futuri essent,
 quantaque sanctitate mundum illustratu-
 ri, & prodigiosa eorum conceptio, & na-
 tivitas, & prænunciata nominum imposi-
 tio significarent. Non defuit hæc quoque
 gratia Augustissimæ cælorum Reginæ
 Dominæ nostræ, ejus hic laudes cele-
 brandas*

brandas suscepi. Inexplicabilem enim tantæ Matris sanctitatem, & excellentiam, & miraculosa ex parentibus sterilibus pro- gnatio, & suavissimi nominis impositio an- tecesserunt : ita clarissimis verbis testa- tur *D. Hieronymus* in Epist. ad Chromati- um de Nativitate B. Virg. Tom. 9. Nimi- rum Angelum Domini immenso lumine fulgidum *B. Ioachimo* astitisse precesq; ejus pro partu & prole fusas exauditas nasce- damque ex se & Sanctissima *Anna* filiam *MARIAM* nominandam, ab infantia sua Domino Deo consecrandam, super omnes fœminas benedicendam, quæ quemad- modum è sterilibus parentibus nascere- tur, ita incomparabiliter virgo permanens generaret Altissimi Filium denunciasse. Et profecto ita decebat: Tanti enim man- dati, tantæ nativitatis mysterium, tam sua- ve ac dulcissimum *Nomen*, non hominis sed angeli primum erat ore promendum; Ille solus huic Sanctissimæ Virgini per Ange- lum nomen indere debebat, qui quantæ futuræ esset excellentiæ & dignitatis co- gnoscebat. Hinc *D. Ambrosius* in serm. de Nativ. B. M. ait *Beata MARIA non fortuito*

~~aut solum placito sed divinâ dispositione & dispensatione nomen accepit: sed & Seraphicus Bonaventura~~ hanc ob causam Bmæ huic virgini gratulabundus acclamat in psalterio Mariano Psalmo 125. *Benedictum sit inquit gloriosum nomen tuum, quod os Domini mirabiliter nominavit.* Verè mirabiliter, sivè spectes ipsum nomen Dulcissimum quod enunciatur, sivè modum quo enunciatur: ut non incongrue in eum quadrent verba Isaia hoc ipsum nomen Admirandi prænunciantis *vocabitur inquit ille tibi nomen novum quod os Domini nominabit* (cap. 62. vers. 3.) Sic inquam congruebat, nam primo quidem, si *Bernardo* Doctore Mellifluo credimus, totam se in hanc virginem infudit gratiæ plenitudo, quidquid enim in aliis sanctis omnibusq; creaturis divisim, id in eâ collectim reperire est: Quod enim vel paucis mortalium constat fuisse collatum fas certe non est suspicari tantæ virgini fuisse negatum: Secundo quia cum nomen Matris Dei deberet esse potentissimum, sanctissimum, ac gratissimum, & ab omnibus tam angelis, hominibus quam dæmonibus Adorandum debitaque

taque

taque Reverentiâ & honore colendum ac
 formidandum: decebat ut ad ipsum impo-
 nendum concurrerent Potentia Patris, Sa-
 pientia Filij, & Amor Spiritus Sancti: ita
 factum esse liquidis asserit verbis pijs-
 simus *Idiota* lib. de contempl. virg. cap. 5. *De-
 dit tota Trinitas tibi MARIA nomen quod post
 filij tui nomen est super omne nomen, ut in no-
 mine tuo omne genu flectatur cœlestium, terre-
 strium, & infernorum: pari modo eam salu-
 tans pientissimus Abbas Lætiensis Blosius.
 Ave inquit serenissima virgo Maria, ad cujus
 nomen flectitur omne genu cœlestium, terre-
 strium & infernorum, quod laudant & bene-
 dicunt exercitus supernorum Civium.*

§. I.

TAm verò, si ad virtutem & efficaciam
 hujus dulcissimi nominis intuitum men-
 tis dirigamus, mirabiles ejus effectus repe-
 riemus.

Primo quidem ipsum mirum in mo-
 dum divinam iram, ac indignationem pla-
 cat, ac mitigat: Olim in lege veteri triplicis
 generis sacrificia à Deo filijs Israël deman-
 data erant, scil. Holocaustum, Hostia pa-
 cifica, & Sacrificium: Holocaustum erat

in quo tota res oblata cremabatur & in fumum resoluta fursum ascendebat, in protestationem supremi Dominij Dei in omnes creaturas: Hostia verò pacifica Deo offerebatur in gratiarum actionem pro acceptis beneficiis, novisq; impetrandis. Denique sacrificium pro peccatis offerebatur ad Dei iram placandam, peccatorumque veniam impetrandam: Huic Sacrificio nomen *MARIÆ* comparat *S. Petrus Chrysologus*: *Sacrificium Dei est nomen MARIÆ si causam quæras ab eo, in promptu est responsio, quia offertur Deo pro peccatis, eorumque veniam impetrandam, ac ejus iræ & indignationem placandam.* Majora huic Sanctissimo Nomini attribuere audeat Cantuariensis Antistes *Anselmus* dicere audens: *velociorem nonnumquam esse salutem invocato nomine MARIÆ quam IESVS.* En verba ejus propriâ pietate & dulcedine plena: Ait ergò citatus Doctor lib. de Excellentia virg. c. 6. *Velocior est nonnumquam salus memorato nomine MARIÆ, quam IESVS unici filij sui: Et id quidem non ideò fit quod ipsa major, potentior eo sit, nec enim ipse magnus, & potēs est per eam, sed illa per ipsum.*

Quare

Quare ergò propior salus in recordatione nominis ejus, quàm filij sui saepe percipitur? Dicam quod sentio. Filius Dei Dominus est, & iudex omnium discernens merita singulorum, dum igitur ipse à quovis suo nomine invocatus non statim exaudit, profecto id iuste facit. Invocato autem nomine matris, & si merita invocantis non merentur ut exaudiatur, merita tamen matris intercedunt ut exaudiatur. Hucusque Anselmus.

Secundus effectus hujus dulcissimi nominis est: quod obduratissima desperatissimorum hominum corda, ad pœnitentiam & pietatem emolliat. Naturali experientiâ sacrarumque litterarum testimonijs compertum est, mirum in modum valere ad efferatissimos animos emolliendos, passionesque sedandas instrumentorum musicorum citharę, organi, similibumque melodiam: Sic referentibus libris Regum cum spiritus Domini malus invaderet *Saul*, *Davide* citharam pulsante, melius habebat *Saul*, recedebatque ab eo spiritus malus: pari modo dulcissimum nomen virginis Matris super omnium musicorum instrumentorum melodiam dulce, efferat-

§ LETANIÆ LAURETANÆ

tos per vitia, & passiones peccatorum animos emollit, ut emolliti convertantur ad Deum, conversi pœnitentiam agant de peccatis suis, ac optatam consequantur salutem: ut non immerito Bm̄um hoc Nomen inclamarit Mellifluus *Bernardus* ferm. Panegyri. *O Magna, O Pia, O multum amabilis MARIA, tu nec nominari quidem potes quin accendas: nec cogitari quin recrees affectus diligentium te, tu numquam sine dulcedine divinitus tibi insitã pie memorie portas ingrederis.* Et pijssimus *Idiota* l. de contempt. Virg. cap. 5. *Tanta ait ad eam est virtus Sanctissimi Nominis tui O semper benedicta MARIA, quod mirabiliter emollit, & penetrat duritiam cordis humani.* Et alius quidem devotus Author inquit:

*O Vnicum Decus Virgineum,
Thronum sedens super athereum,
Nomen tuum unguentum melleum,
Liquefacit affectum ferreum.*

Tertius hujus suavissimi Nominis effectus est: quod omnium adversarum potestatum insultus efficacissimè repellat, dæmonum impetus frangat, eosque ab obsessis

sessis exturbet, non enim ait Doctor Mellifluus citatus à *Richardo de S. Laurentio*, ita metuunt hostes visibiles quamlibet castrorum multitudinem copiosam, sicut aëreae potestates *MARIÆ* vocabulum, patrocinium, & exemplum: Ipsa est enim, quæ attestante cœlesti sponso progreditur, ut castrorum acies terribilis bene ordinata: *Terribilis* dæmonibus, (ut ait *Petrus Damianus* serm. de Assumpt. B. Virg.) *ordinata* virtutibus, *singularis* timor malignorum spirituum, *specialis* amor civium beatorum. Et ut ait *Blosius* ad ejus nomen dæmones contremiscunt & potestates tenebrarum diffugiunt.

Effectibus jam nominatis quartum addit *Bonaventura*: quod nimirum confortet, consoletur, omnemque ab homine timorem in mortis agone repellat, *gloriosum* (ait salutans eam) & *admirabile est nomen tuum*, qui illud in corde retinent, non expavescent in puncto mortis. Ut verè mirabile sit nomen ejus in universa terrâ & magnificatum nimis. Sed jam ad tam dulcis & mellei Nominis Etymologicam significationem deveniendum est, & aliquid de ea differendum.

§. 2.

SI grandium virorum nomina *Ade, Eve,*
Abraham, Isaac, Ioannis, Petri & Pauli my-
 sterio non vacent, magnaque Dei sapien-
 tia illis indita sunt: quid quæso cogitan-
 dum de sanctissimæ Deiparæ, & Matris
 Messiæ nomine? Hoc nomen, quod etiam
 sorori Moyfi in veteri testamento imposi-
 tum fuit, quinque apud Latinos litteras,
 quinque significata, quibus ejus gratiæ, di-
 gnitates, & prerogativæ declarantur: quin-
 que gratias singulares, habet deniq; quin-
 que figuras mulierum illustrium, quibus
 apte repræsentata est. Quod ad significa-
 ta hujus nominis attinet ipsum testibus
Bernardo, Beda, Eucherio, & Hieronymo, si-
 gnificat Magistram maris, seu Dominam
 maris, stellam maris, mare myrrhæ, seu
 amaritudinis, illuminatam, & exaltatam:
S. Hieronymus tom. 3. in medio MARIA &
Illuminatrix vel Illuminans Smyrna maris
vel stella maris. Et paulò post *Melius autem*
est ait ut dicamus eam sonare stellam maris, si-
vè amarum mare: sciendumque quod MA-
RIA sermone Syro Domina nuncupatur, sicut
& Maran Dominus noster. Alij exaltatam,
 Doctri-

Doctrinam populi, ac Magistram interpretantur, ex diversis radicibus: Sic & Epiphanius lib. de laudibus Virginis: MARIAM ait interpretari solemus Dominam, atque etiam spem, peperit enim Dominum, qui est spes totius mundi. Et infra: Rursus praeclara puella beatum nomen interpretatur illustrata, utpote quae illustrata sit à Filio Dei, & cunctos usq; ad terminos terrae credentes trinitate illustraverit. Sed jam cum Bernardo loquamur pauca & super hoc nomine, quod interpretatum Maris stella dicitur, & virgini Matri convenientur aptatur.

Mare navigantes stellam quandam in parte septentrionali sitam observare, & ad quam se dirigere solent, ex cujus aspectu sciant in quâ parte maris constituti sint quâve navem vertere debeant. Ex cujus etiam obscuratione & obnubilatione, multas calamitates, & difficultates incurere assueverunt: quod vel in pyratas maris incidant, vel navis ad rupes scyllam & Charibdim allidat, vel certe in arenosa loca devenientes, miserè aliquando pereant, & naufragium patiantur, & stellam hanc Cynosuram appellant: Estque sydus septem

septem constans stellis, ab aliis urfa minor appellata, ab aliis verò teste *Higino* phænice dicta, quod à phænicibus inter navigandum soleat observari. Similem multo tamen excellentiorem & digniorem Deus omnipotens stellam, & Cynosuram navigantibus magnum hoc, & spatiosum mundi mare, in quo innumeri pyratae animarum, innumeræ rupes, scyllæ, ac Charibdes constituit, ut navigantes eam observantes, quævis evadere pericula, è cuius aspectu noscerent quò navigium, ne in animarum pericula incurrant, vertere debeant: Nec est alia quam gloriosissima virgo Deipara, quàm non immerito Mellifluus *Bernardus* Maris stellam salutavit, & nuncupavit: *Ave* inquit *maris stella*, uti & ex ipsius ad cynosuram cœlicam similitudine liquet colligere.

§. 3.

ET primo quidem à Cynosura cœlica hæc nautis est consolatio, quod ipsâ eis apparente habeant quodammodo viæ ducem, quem sequantur ut ad felicem portum pertingere valeant. Nec deest navigantibus hujus mundi mare à Cynosura

fura

fura mystica gloriosissima virgine hæc
cōsolatio, MARIA enim via est, & dux vitæ
nostræ, sic eam appellat spiritualis ille scri-
ptor *Blosius* hinc eam in suis precati-
onibus salutans verbis *Gloriosissima* ait *Dei ge-
nitrix vitæ nostræ dux certissima, porta divi-
næ gratiæ, & maris mundi hujus procellosi por-
tus securissimus*: Eodem nomine & elogio
ante *Blosium* insignivit Seraphicus *Bona-
ventura*: *Benedicta sit* inquit *MARIA mater
Christi, ipsa enim est via ad patriam salutis*. Et
alio item loco *ipsa* inquit *est janua salutis,
via nostræ reconciliationis*: Nec facile por-
tum pertinget cui hæc Cynosura non lu-
xerit, & viæ dux fuerit, ut non immerito
tam zelose ac ferventer jam citatus *Bona-
ventura* admonéat exhorteturque pecca-
tores quosvis ad hanc suspirare, & respice-
re ut portum securum pertingere valeant:
Respirate ad illam inquit *peccatores & per du-
cet vos indulgentiæ portum*.

Secunda Consolatio, & subsidium
quod à Cynosura sua nautæ habent est:
quod quamdiu ipsa eis luxerit, securos se
sciant ab omni tempestate, & procellis:
non enim hæc stella radios suos celat, &
abscondit

abscondit nisi ob tempestatem appropin-
quantem: Idem in nostra Cynolura my-
stica obseruant Sancti Patres, quamdiu e-
nim hæc radios gratiæ & benevolentia, ad
navigantes mundi mare convertit, vel è
contra illi eam incessanter aspiciunt, nul-
lius rei periculum est: at contra si hæc Cy-
nosura gratiosum suum aspectum abscon-
dat, res omnino desperata est: tales perire
necesse, naufragium perpeti, & in vastissi-
mo hoc mari ad interna demergi certissi-
mum est: hinc tam serua & frequentius in-
cultata Doctoris Melliflui exhortatio: *O
quisquis te intelligis (serm. 2. super Missus
est Angelus &c.) in hujus sæculi profluvio
magis inter procellas & tempestates fluctuare,
quam per terram ambulare: ne avertas oculos
à fulgore hujus syderis, si non vis obrui procel-
lis. Si insurgant venti tentationum, si incur-
ras scopulos tribulationum, respice stellam, vo-
ca MARIAM. Si jaëtaris superbia undis, si
ambitionis, si detractionis, si emulationis, re-
spice stellam voca MARIAM. Si iracundia,
aut avaritia, aut carnis illecebra, naviculam
concusserit mentis, respice ad MARIAM. Si
criminum immanitate turbatus, conscientia
feditate*

ſæditate confuſus judiciꝝ horrore perterritus,
barathro incipias abſorberi triſtitia, deſpera-
tionis abyſſo, cogita MARIAM. In periculis, in
angustijs, in rebus dubijs, MARIAM cogita,
MARIAM invoca. Non recedat ab ore, non re-
cedat à corde, & ut impetres ejus orationis ſuf-
fragium, non deſeras converſationis exem-
plum Ipfam ſequens non devias, ipſam rogans
non deſperas, ipſam cogitans non erras. Ipſâ te-
nente non corruis, ipſâ protegente non metuis,
ipſâ duce non fatigaris, ipſâ propitiâ per-venis:
& in te ipſo experiris, quam merito dictum ſit,
& nomen Virginis MARIA. Hucusque mel-
liſſus Bernardus. Iterum ergo repeto im-
poſſibile eſſe ſalvari, & neceſſe damnari
à quo hæc ſtella averſa fuerit. Teſtes ap-
pello duplex MARIÆ Corculum, Bonaven-
turam inquã & Anſelmum. Et Anſelmus qui-
dem Quemadmodum ait impoſſibile eſt ut illi
à quibus Virgo MARIA oculos miſericordie
ſue avertit ſalventur, ita neceſſarium, ut hi ad
quos oculos ſuos convertit, pro eis advocans ju-
ſificentur & glorificentur. Non aliter ſen-
tit Bonaventura ſed quaſi confirmans ab
Anſelmo dicta: Quem vis inquit hic ſalvus
erit, & à quibus avertis vultum tuum, vadit
in inte-

in inte-

*in interitum. Et iterum quibus auxiliata fueris Domina erit refrigerium pacis, & à quibus avertis vultum tuum, non erit eis spes ad salutem: Atque ob hanc causam tanto perè ab hac stella maris illuminari exoptat exclamans; Illumina me stella maris, clarifica me Virgo clarissima: Nec mirum hoc cuiquam videatur, non enim hæc stella radios gratiæ suæ retrahit, & abscondit, nisi homo jam sit perditioni proximus, cum nimirum in procellas sine fine duraturas dejicitur. Igitur cum omni mentis devotione & alacritate hujus cælestis, mysticæque Cynosuræ auxilium imploremus, cum pi-entissimo Abbate *Blosio* exclamantes: *O stella semper rutilans virgo MARIA, illumina tenebras cecitatis nostræ, claritate adventus tui: Et alio pio scriptore.**

*Stella maris emitteradium,
Placa mare, tolle naufragium,
Rege navem periclitantium,
Esto lapsis in adjutorium.*

Tertio sublato lumine stellæ hujus, nautæ quodammodo in tenebris versantur, nam quo se vertere debeant nesciunt,
& quem-

& quemadmodum homo in tenebris ambulans, facile offendit, & in præceps ruit, cum lumine directrice careat: ita & nautæ sublato lumine Cynosuræ suæ directricis, facile in varia pericula, rupes, charybdes & pyratas incidunt: Idem contingit navigantibus procellosum mundi mare sublato lumine directrice stellæ suæ mysticæ: ita diserte *Bernardus Tolle ait MARIAM hanc maris stellam, maris utiq; magni & spatiosi, quid nisi caligo involvens, & umbra mortis, ac densissima tenebra relinquuntur?* ita est neque facile quis securus erit cui hujus Cynosuræ claritas non affulserit: hinc non contemnendum Seraphici *Bonaventuræ consilium, in periculis inquentis in rebus dubiis invocare eam, & in necessitatibus vestris invenietis auxilium, & refrigerium dulce:* Conformiter monitioni jam citati ante *Bernardi ne avertas oculos tuos &c.*

Denique quemadmodum Cynosura cælestis, nullum navigantiū habet respectum, sed omnibus mare navigantibus, tam malis, quam bonis, tam pyratis, quam probis nautis, radios suos impertit; ita &

C

Cyno-

Cynosura mystica virgo benedicta, personam non accipit, sed promiscue tam peccatoribus, quam justis, suæ charitatis ac benignitatis radios communicat, propter quod Bernardus eam alloquens (*serm. paneg.*) Tu inquit peccatorem quantumlibet fatidum non horres, non despicias, si ad te suspiraverit, tuumq; interventum penitenti corde flagitaverit. Tu illum à desperationis barathropiâ manu retrahis, spei medicamen aspiras, foves nec deseris, quousq; horrendo iudici miserum reconcilies. Imò majorem peccatorum quam justorum curam gerit, sciens, non esse opus sanis medico, sed male habentibus: nec ignorans se propter peccatores matrem Dei electam, nisi enim Adam peccasset, Deum incarnari necesse non fuisset, ac consequenter nec ipsa Dei mater facta esset. Tam præclari quoque syderis ac Cynosuræ subsidio, ab omnibus mundi procellis, carnis titullationibus, dæmonumque tentationibus erui animatus exoptemus, eam præclarissimis hymni verbis inclamantes:

Ave Virgo singularis,

Mater nostri salutaris,

Cæli

*Cæli sydus, stella maris,
 Stella non erratica.
 Nos in huius vitæ mari,
 Non permittite naufragari,
 Sed affectum tui chari,
 Supplex in nos explica.
 Sevit mare, furunt venti,
 Fluctus surgunt turbulenti,
 Navis currit sed currenti,
 Quot occurrunt noxia?
 Hic syrenes voluptatis,
 Draco, canes, cum pyratis,
 Mortem penè desperatis,
 Hec intentant omnia.
 Contabescit in his malis,
 Homo noster animalis,
 Sed tu mater specialis,
 In occursum propera.*

§. 4.

AMplius ut supra attigimus, dulcissi-
 mum hoc nomen *MARIA*, significat
 idem ac illuminans, & illuminata: cælestis
 sponsus suavitate huius sanctissimi nomi-
 nis sæpius degustatâ, eam vivo oris & lin-
 guæ suæ penicillo adumbrare & depinge-
 re volens : *Oleum* inquit *effusum nomen*

C 2

rum

suum nec ociose nomen hoc cum oleo comparatur: *Oleum* enim ut ait *Bernardus* ferm. 15. in Cantica: *Lucet, pascit, & ungit: fovet ignem, nutrit carnem, lenit dolorem, lux, cibus, medicina. Videte idem nunc & de sponsa nomine.* Lucet prædicatum, pascit recogitatum, invocatum, lenit, & ungit: nec tantum lux est nomen *MARIÆ*, sed est & cibus. An non toties confortaris, quoties recordaris? quid æq; mentem cogitantis impingat? Quid ita exercitatos reparat sensus, virtutes roborat, vegetat mores bonos atque honestos, castas fovet affectiones? Aridus est omnis animæ cibus *MARIAM* diligentibus propositus, si non oleo isto infunditur. Insipidus est si hoc sale non conditur. Si scribas non sapit mihi nisi legero ibi *IESVM & MARIAM*. Si disputes, aut conferas, nõ sapit mihi nisi sonuerit ibi nomẽ *IESV* aut *MARIÆ IESVS & MARIAM* melin ore, in aure melos, in corde jubilus. Sed est nomẽ hoc & medicina. Tristatur aliquis nostrum? veniat in cor *MARIA*, & inde saliat in os, & ecce ad exortum nominis lumen, nubilum omne diffugit, redit serenum. Labitur quis in
crimen,

crimen, currit in super ad laqueum mortis desperando: nonne si invocet nomen vitæ confestim respirabit ad vitam? Cui in periculis palpitanti, & trepidanti, invocatum virtutis nomen, non statim fiduciam præstitit, depulit metum? Cui in adversis diffidenti, iam iamque deficienti, si nomen adiutorij sonuit, defuit fortitudo? cui quæso in dubijs æstuanti, & fluctuanti, non subito ad invocationem clari nominis emicuit certitudo? nimirum morbi & languores animi isti sunt, illud medicina: nihil enim ita iræ impetum cohibet, superbiæ tumorem sedat, fanat livoris vulnus, restringit luxuriæ fluxum, extinguit libidinis flammam, sitim temperat avaritiæ, ac totius indecoris fugat pruriginem, quam hoc dulcissimum nomen.

Denique quinque quoque gratias singulares habet hoc sanctissimum nomen, quinque eiusdem litteris: quinque etiam figuras excellentissimas, singulis litterarum eiusdem sanctissimi nominis correspondentes. Piæ prorsus speculationes: quinque eiusdem gratias, & prærogativas hoc modo exprime.

Mater misericordiae,
 Advocata afflictorum,
 Refugium peccatorum
 Inventrix gratiae,
 Amica Angelorum.

Sic & eisdem litteris correspondent, totidem nobilissimarum mulierum antiquae legis figurae:

MARIA soror Moyfi,
 Abigail,
 Rachel,
 Iudith,
 Anna mater Samuelis.

De quibus in sequentibus titulis, & encomijs dicendum erit per singula. Igitur ut huic encomio finem imponamus, omnes nos inclamat non immeritò propheta Evangelicus: *Date nomini eius, SSme. inquam matris magnificentiam, & confitemini illi in voce labiorum vestrorum, & in canticis labiorum ac citharis: nomini inquam quod post suavissimum nomen IESVS est super omne nomen: nomini quod dignum esset omnium hominum cordibus penitus insculpi, quod teste Petro Chrysologo: Pro-*

go: Prophetia germanum est, quod renascentibus salutare, quod virtutis insigne, quod pudicitie decus, quod indicium castitatis, quod Dei Sacrificium, quod hospitalitatis virtus, quod collegium sanctitatis, ut non immerito nomen matris Christi sit nomen maternum. Et ut bene ait Canisius: si ullum aliud venustum, preclarum, & gratiosum, nomen ulli contingit mortalium, quod scribi, legi, decantari, sculpique mereatur, id *MARIÆ* nomen videri potest: dignum sanè quod in omnes oculos, aures, & mentes incurrat, magnaque cum Reverentia, & privatim & publicè nominetur. Ipsa autem sanctissima Mater, & Virgo, suum dulcissimum nomen cordibus nostris inscribere dignetur, ut ipsum cor nostrum incessanter benedicat, & glorificet. *MARIA* sit nobis *MARIA* sit nobis stella, & Cynosura in hoc mari periculosissimo navigantibus, ipsa ducat per anfractus viarum, docens vitare noxia, prosequi salutaria, ut eadem duce tandem ad felicissimum beatitatis portum, pertingere & quam iam per speciem & in ænigmate tandem facie ad faciem & jucundissimo eius aspectu satiari mereamur æternum.